



B. 25:

2

CVM  
SERENISSIMI POTENTISSIMI QVE  
PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI  
**FRIDERICI**  
REGIS BORVSSIAE MAR-  
CHIONIS BRANDENBURGICI S. ROM.  
IMP. ARCHICAMERARII ET ELECTORIS SUPREMI PRINCI-  
PIOS ARAVISIONENSIS AC NEOCASTRENSIS DVCIS MAGDE-  
BURGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM STETINI POMERANIAE  
CASSVBIORVM VINIDORVM MECKLENBURGI ET IN SILESIA  
CROSNAE BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS PRINCIPIS HALBERSTADII MIN-  
DAE CAMINI VANDALIAE SVERINI RACERBVRGI ET MEVRSAE COMITIS HO-  
HENSTEINI TECKLENBURGI LINGAE SVERINI BVRAE ET LEERDAMI MAR-  
CHIONIS VEHRAE ET VLISINGAE DYNASTAE IN RAVENSTEIN TER-  
RISQVE ROSTOCHII STARGARDAE IN LAVENBVRG  
BTOW ARLAY ET BREDA CETERA

REGIS ET DOMINI SVI MVLTO  
CLEMENTISSIMI

**NATALIS LII**  
FELICI SIDERE IV. IDVS IVLIAS ADFVLGERET  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PVBLICO NOMINE

DEMISSISSIME SVB ECTISSIME QVE  
HVNC PANEGYRICVM


DIXIT

NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS  
SACRI TRIBVNALIS QVOD IN DVCATV EST MAGDEBVR-  
GICO CONSILIARIVS ELOQVENTIAE  
ET ANTIQUIT. PROFESS. ORD.



---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.  
CIO IO CCVIII





uum multa mala in res huma-  
nas inuehat Principum libido ac  
ambitio , & rerum publicarum  
conuersiones , imperiorumque  
maximorum ruinæ , & funestissimæ clades il-  
lorum sæpe culpa oriuntur , & excitentur : eo  
magis sane isti a nobis videntur esse laudandi ,  
qui vitæ suæ consilia ad exactissimam pruden-

A tiæ

tiæ normam dirigunt, omnesque actiones veræ virtutis perfectique offici ratione metiuntur. Neque enim præstabilius, aut pulcrius a Deo munus obtingere mortalibus potest, quam castus, sanctus, prouidus, iustus, atque magnanimus Rex, cuius spiritum tot hominum millia trahunt; cuiusque exemplo integræ nationes ac gentes ad sempiternæ laudis gloriam indipiscendam ardore incredibili inflammantur. De cuius generis Heroe, si ad populum verba sunt facienda, eadem palam merito dicuntur, quæ loquimur secreto; non metus exprimit voces ab animi nostri sententia diuersas; nec adulatiois quædam species verecundis auribus sese insinuat: constat potitus sua orationi fides, libertas, veritas, nec ingenium adhibendum est multiplex, atque acutum ad pallianda facta, quæ virtutis quoddam præmium suo iure flagitant, & eminentem decoris atque dignitatis pulcritudinem gremio suo luculentissime complectuntur. Hoc Plinii solatum erat, cum laudaret Traianum Imperatorem optimum; hæc nostra fiducia est, & invicta spes, dum impensioribus verbis extollimus **FRIDERICUM REGEM** nostrum sanctissimum, omnibusque virtutibus ornatissimum, a quo rectioris vitæ disciplina

plina haurienda est, vnde leges accipiendæ,  
iudicia postulanda, & modestiæ, æquitatis, al-  
tique animi ornamenta, atque documenta  
velut e perenni, ac limpidissimo fonte inter  
bonorum omnium plausus, atque gaudia sunt  
petenda, ac deriuanda. Succurrant igitur alii  
accersitis laudibus inopiae nominis eorum,  
quos extollunt; & paupertatem rerum præ-  
clare gestarum variis pigmentis illinant, colo-  
rumque fucis adumbrent. Nostrī REGIS  
magnitudo emendatum eiusmodi sermonem  
nec expectat, nec expetit; nec adsentato-  
rum fictas artes in tanti splendoris abundan-  
tia desiderat. Sappetunt nobis ad dicendum  
tam multa, tam illustria, tam in omni laudis  
genere excellentia, vt verendum sit, ne pau-  
ciora pro re, quam plura proferantur. Et ve-  
reor autem ipse, vt digne sim exsecuturus id,  
quod mihi demandatum est officii; præser-  
tim cum maiores me circumstent virtutes,  
quam vt concipere illas possim, non dicam  
exprimere. Neque enim singularis probitatis  
exempla ferunt, vt præceps superbia occupet  
animum, aut effrenata quædam luxuria, aut in-  
finita pecuniæ cupiditas mentem perturbet;  
iustitia, æquitas, mansuetudo, religio, bene-  
ficiencia, fortitudo, gloria immortalis hic pri-

mas obtinent, & fulgore suo quorumcunque  
oculos in hanc morum elegantiam intuen-  
tium mirifice praestringunt. Quamobrem  
saltem quoad potero, imposito ab illis muneri,  
quorum auctoritas apud me plurimum valet,  
satisfaciā; ne natalis PRINCIPI & Aca-  
demiæ nostræ auguſtissimus ſine publicæ læ-  
titiae teſtimonio præterlabatur, & tacitus  
gaudii, votorumque conſensus maniſta rei-  
publicæ noſtræ litterariæ acclamatione deſti-  
tuatur, atque privetur. Veſtrum eſt, Patres  
Conſcripti, vt in agendis gratiis, quas publico  
nomine FRIDERICO, Domino noſtro in-  
dulgentiſſimo hodie perſoluo, ſitis primi; qui  
in illis accipiendis non fuſtis ſecundi. Tu  
vero ſtudioſa iuuentus, ſpes patriæ, gloria po-  
ſteritatis, in præclarifimarum virtutum com-  
memoratione paulisper hæreas, maneſque  
defixa, vt attente cognoſcas beneficiorum il-  
lorum cumulum, quæ in te ſunt effuſa, quo-  
rumque præſidio in altum eniteris, & relictis  
infirmis, fluxis, atque commutabilibus ad vi-  
tam beatam, olimque felicifimam con-  
tentis.

Qui falſam laudis viam ineunt Alexandri  
& Cæſaris virtutes commendant, illosq; ver-  
ſibus ac oratione ita depingunt, vt crederes,

pri-

primum innumerabiles orbis terrarum nationes a morum feritate ad humanitatis cultum imperii sui mansuetudine, & lenitate traduxisse: alterum vero in eorum numero esse collaudum, quorum imperium, ut omni iuris specie expolitum; ita etiam prona imitatione sit exprimendum. Sed deprehendent facile, qui rationes suas rite subducunt, Alexandrum, quem omnes appellant Magnum, latronem fuisse gentium, oppressorem innocentiae, cuiusque æui flagellum, qui quamquam votis exceptiis est, ut immortalitati consecratus Iouis filius diceretur, eaque ratione coleretur, non alia tamen via ad tumulum descendit, quam quæ latronibus, ac generis humani euersoribus a supremi Numinis prouidentia sapientissime est destinata. Veneno enim perita Ducibus suis propinato, qui amplissima spolia, nulla eiusdem stirpis ratione habita, inter se divisorunt, & internecinis odiis coortis se ipsos tandem mutuis cladibus confecerunt. Cælarem vero non nisi adulatorum turba, & insipientium cohors in bonorum principum classem reponet, quippe quem meliori iure tyrannum dicimus, ut alias astutum, subtilem, in speciem clementem atque benignum, felicem etiam in occupanda reipublicæ libertate, sub-

ITRONIS

B

iugan-

iugandoque orbe Romano. Nam si tyrannus  
est, qui in iuris imperii iugum imponit, qui  
non populi utilitatem præcipue, sed propriæ  
dominationis splendorem respicit; quomo-  
do tyranni titulum euitabit is, qui rempu-  
blicam temeritate, atque amentia pertur-  
bavit, veteres magistratus extinxit, obnitens-  
tibus insidias paravit, ut sic tandem omnibus  
præfidiis publicæ libertatis per summum sce-  
lus ereptis ipse solus in republica dominare-  
tur? Nos autem in hoc loco non de oppressore,  
aut tyrranno, sed R E G E differimus; qui quam-  
quam legibus solitus sit, leges tamen sanctas  
habet, earum mentem intuetur, illarum sa-  
ctionibus obligatur; studia laudis & dignitatis  
excitat, omnesque flagitorum labes a republi-  
ca summa contentione propulsat. Loquor con-  
fidentius F R I D E R I C E , & T E Princeps  
maxime, ac potentissime publice nomino, vt  
T E, qui amor es, atque delicium generis hu-  
mani ab Alexandro & Cæsare distinguant o-  
mnes, quibus bonorum odium etiam post ei-  
neres incumbit, funestoque exitu effusoque  
sanguine, sic dispensantibus olim fatis, paren-  
tatum est. At fateor, sape mihi in mentem  
venit admirari, quid sit illud, quod impellat  
tantam hominum copiam, vt te omnes  
ament,

ament, tibi obsequantur, tibi obtemperent,  
ex tuo vultu pendeant, & denique te, velut  
Dei administrum venerentur, ac colant?  
Quacumque enim iter facis, cuncti cuncta bo-  
na promittunt, manus in coelos eleuant, & fau-  
stis acclamationibus pueri, viri, senes, vir-  
gines, atque mulieres studium suum apertissi-  
me demonstrant. Quod cum non semel, sed  
frequenter, non raro, sed fere semper, nec in v-  
no populo, sed in omnibus obseruetur, sane tan-  
ti amoris causa, tantaeque venerationis origo.  
Solicitus nobis exploranda est, ac indaganda  
diligentius. Qui temere iudicant, imperium  
forte allegabunt, & opes summas, quibus ex-  
ornatus splendescas, quibusque præcellens  
multitudinis excites studium singulare. Sed  
iudicant, ut dixi, temere, ac præcipitanter.  
Non enim Regis illustris species, quam non  
præsentes tantum, sed etiam absentes admirantur,  
ex imperio pender, aut munere, quod  
diuinitus ei permisum est. Quod si enim in hoc  
totius honestatis regiae causam contineret,  
qui factum est, queso, ut Tiberius, ut Cali-  
gula, ut Nero, ut Commodus nullum ex im-  
perio decus sinit adsecuri, sed omnes sceleris  
infaniam conflagraverint, conflagrentque ho-  
dienum? Restat igitur, ut dicamus, id quod

TE amabilem, quod dulcem, quod admirandum  
facit; non esse extra TE, sed in TE ipso collocan-  
dum. Nihil profecto indignius est Tua Maiesta-  
te, TE non propter TE, sed propter opes Tuas in  
celebritate versari. Sint TIBI magnificæ vestes,  
pulcrorum torquium, gemmarumque sit abun-  
dantia, fulgentes etiam & instratae margaritis  
sellæ sint pulcræ; sint exercitus fortes, sint Du-  
ces lectissimi, sint auorum, proauorumque ima-  
gines nobilissimæ; subsint TIBI late patentes re-  
giones, integræ nationes Tuis sceptris pareant;  
sint potentia amplissimis terminis descripta;  
sint omnia, quæ oculis cernimus venusta, ex-  
cellentia, magna: an pietatis calorem, an amo-  
ris quoddam quasi incendium his caducis &  
perituriis bonis credit aliquis iri excitatum?  
vt in discrimen inferant vitam subiecti? vt  
mortem appetant pronissimi? vt tanta con-  
fessione ad honorem vni homini deferendum  
accurrant omnes? vt laudent, vt certent of-  
ficiis & vitam & salutem optimam publice  
apprecentur priuatimque? Et non putem  
Auditores. Habet aliquid augustius FRI-  
DERICVS REX noster longe clementis-  
simus, habet spleadidius quidpiam, atque il-  
lustrius: possidet ingenium mirabile; indole  
ad virtutem plane regiam; inest Ei sapien-  
tia

tia, quæ dissipata coniungit, disrupta conglutinat, omniaque lege & ordine temperat,  
& amplitudine diuinæ cuiusdam suavitatis lætificat. Illa pars in qua summa decoris appetitio viget, tantam ei dignitatis pulcritudinem fuscitauit; amoris adeo eminentis flammarum euocauit; tot monumenta ære perenniora exstruxit; tot vota, tot bona verba coniunxit; tot triumphos & victorias ei conciliauit. Dies nos deficeret, AVG VSTE, si præclarissima facta, quibus a vitæ, ac imperii Tui ortu enituisti, yellemus percurrere; aut quæ tantum eximia, & singularia fuerint, enarrare. Proximus annus solus largam nobis materiam dicendi suppeditat, ac amplissimum orationi nostræ circulum describit. Viximus enim sub principatu cum æqualiter librato, tum administrato firmiter, atque ita viximus, ut pax, libertas, omnium bonorum affluentia, & securitas plena manu nobis obtigerit. Quis enim vñquam maiorem diligentiam vidit adhibitam in subleuandis egenis, in protegendis exstribus, in sacris ædibus exstruendis, in rebus diuinis ritte peragendis, in sceleribus improborum hominum vlciscendis, in vera religione propaganda, atque vindicanda? Opera Tua esse. Etum est, REX maxime, ut innumerabilis multitudin

C

titu-

titudo non tantum in Palatinis, sed etiam ali-  
is terris animatum a superstitione liberum ac im-  
munem conseruauerit, ac pristinæ religionis,  
veritatisque antiquæ instituta retintuerit. In  
qua laude cum tam præclare excellueris, ex-  
cellasque perpetuo, non est sane mirum, si  
aliarum virtutum gloria circumfluis, cum hanc  
vnam, e qua reliquæ omnes velut e capite ori-  
untur, fiteris studiofissime complexus. Hæc  
enim facit, vt singularis iustitiae præsidio to-  
tam rem publicam incolumem ab omni vitio-  
rum iniuria præstes, vt tumores patriæ fluen-  
tes disciplinæ severitate deuincias, ensemque  
adhibeas & flammam, vbi opus est, ne pars sin-  
cera contagione inficiatur, & infecta tabescat;  
ac benignitate rufus, & moderatione utaris,  
vbi infirmitatis humanæ ratio habenda est; &  
paruis peccatis venia comodanda, nec poe-  
na semper, sed penitentia est admittenda.  
In quo temperamento cum plane admirabilis  
mihi videaris, haud tamen scio, an sit aliquid  
firmiss, & præclarus eo, quod nuper cum  
omnium admiratione ostendisti. Dicam clari-  
rus, vt intelligent cuncti, quam sis sapiens,  
& magnanimus, quam in omni vita modera-  
tus: quam TE nulla perturbatio quatiat, nul-  
lus motus de statu deliciat, nulla cupiditas, ac  
dolor

dolor labefactet. Nostis enim, o mei, quanto plausu, quantoque gratulationum apparatus excepta sit a Deo data soboles, soboles FRIDERICI WILHELMI, filii REGI nostro quam simillimi, lectissimæque CONIVGIS Guelphorum luminibus exsplendescéntis, sanguine prognata, quam AVRACI Principis nomine non sine futuræ magnitudinis præfago condecorauimus omnes, suspeximus omnes, dileximus cuncti. Sed nostis etiam quam repente inter tot gentium populorumque desideria coelis iterum recepta sit spes nostra, flagrantissimis & supplicibus bonorum omnium precibus expetita: delicium orbis, & maioris longe exspectationis propago. Diximus enim apud nos, ac iterato diximus: hic paternos exhibebit avos, maternosque: hic Hohenzolleranae ac Guelphicæ stirpis decora cum Nasouiorum & Arausionensium Principum tropæis coniungeret: in hoc eminentissimi BORVS-SICAE domus maiores reuinissent, in quibus GEORGIVS WILHELMVS effecit ne vinceremur; FRIDERICVS WILHELMVS ut vinceremus; & FRIDERICVS Rex noster indulgentissimus ut plane superiores & inexsuperabiles simus. Sed dum ita diximus, ea que ratio ne cogitauimus, dolores nostri, quos inopina

TUS PRINCIPIS tenelli discessus euocauit; non  
tam imminuti sunt, quam aucti, nec tam  
leniti, quam acerbiores redditii. Major enim  
luctu prosequimur id, quod illustre fuit, quod  
excellens fuit, quod optima spe plenum fuit.  
Obstupuimus itaque dum illam formidolosam  
mortis speciem animaduerimus; discurremus  
anxii; incertitiae fere succubuimus; titubauimus,  
trepidauimus. REX autem noster, qui Deum  
suspicit magnitudine immensum, splendore cla-  
rissimum, constantia & stabilitate firmissimum;  
nec titubauit nimium, nec tristitia pater modum  
indulxit; sed diuinæ potius moderationis  
& constantiæ imaginem expressit; sed negoti-  
a pro solatiis accepit; sed levamentum &  
complexu reipublicæ petuit; sed effusum in la-  
ceritas senatum, victo gemitu, virili, ac vere re-  
gia oratione erexit. Tantum potest animus  
omnium virtutum opibus egregie cultus, ra-  
tio cœlesti luce collustrata, pura, acris, vigens,  
& contra omnes fortunæ impetus validis præ-  
fidiis munita. Quid ergo mirum, PRINCEPS  
inuicte, si sapientiae Tuæ fama commotægen-  
tes, certatim allicantur ad TE amandum;  
TVque eam formam induas, quam omnes co-  
lant, admirantur, ac immortalis laude celebran-  
tes sibi expetant, suisque; ut leni eos imperio  
regas,

regas, & summum illud ingenium, illam na-  
turam adores maximas strenue gerendas a-  
ptam & habilem ad reipublicæ Tibi commis-  
tendæ fructum accommodes. In recenti ad-  
huc memoria seruamus exemplum Nouo-  
stremsum ciuium, sed duraturum ad posteros,  
omnemque æternitatem. Hi sponte sua inter-  
tot Gallæ principum susurros, inter tot Re-  
gis, quem Christianissimum vocant, fulmina,  
ac comminationes, inter armorum, quæ vni-  
que quatierbat, strepitus ad te accurrerunt,  
TIBI imperii habenas subiectissime detule-  
runt, totoque pectore sapientiae Tuæ elegan-  
tiam, virtutis Tuæ singulare robur, mansuetu-  
dinis Tuæ placidissimam facilitatem adierunt,  
vt haberent D O M I N U M sine ostentatione  
prudentem ac excelsum, sine impetu forteim,  
sine otio tranquillum, sine tenacitate fruga-  
lem, sine levitate magnificum; ita grauem, vt  
non insolecat, ita modestum, vt non con-  
temnatur, qui omnes ingenii dotes ad Rei-  
publicæ salutem conferendas arbitratur, vt  
caritate & officio quoslibet deuinciat, &  
contra omnes hostium insidias firmissimo  
robore munitos defendat. Ea vero ratione  
felix obtinuisti, quod Cabilonicis Principi-  
bus fere omnibus diu nouimus denegatum:

*multum*

D      quod

quod Nassouiorum fortissima progenies obtinere non potuit ac indipisci: quod Belgicæ libertatis vindex WILHELMVS, quod Hispanorum terror M A V R I T I E L V S, quod Batautorum honos FRIDERICVS HENRICVS, quod WILHELMVS Magnæ Britanniae Rex in Longæ uillanorum Principum manu ac possessione iniustissima relinquere sunt coacti. Salutem igitur dilecte Deo; salutem PRINCEPS NEO-BVRGICE summe; amor orbis BORVSSICI salutem; faustitatis BRANDENBVRGICAE incrementum salutem! Fuit equidem Augusti consilium vel inuidiae vel prouidentiae caussa ab illo suppeditatum, ut imperium intra terminos coeretur: nec ignotum est Theopompi apophthegma, viribus suis imponendum esse modum, ne mole sua ruat regni corpus tot accessionibus praegnans ac graue. At eo tibi præcepto ob mentis amplitudinem & suauissimam ingenii lenitatem nondum videtur esse opus; nedum illius disciplinæ monitum reputetur necessarium. Imperantes acres, iracundi, elati, ambitiosi, insolentes, & infesti, qui noua siti ad alia properant, & insatiabili cupiditate inuitis dominari contendunt, & sancta omnia, ac religione vallata perrumpunt, atque disturbant, in illud Augusti consilium

filium intueantur, & in Theopompi scholam  
introducti illam præceptionem sibi existimant  
dictam, scriptamque, ut in omnibus rebus  
administrandis, lege, more, ratione vteris, nec  
appetitu, leuitate, libidine bacchatis, nec  
maximam potentiam in cupiditatis infinitæ  
licentia atque fructu, constituis. Si qui vo-  
lentes se Tuæ potestati, Tuæque imperio sub-  
iiciunt, aut iura, quæ per aliquid temporis  
spatium obscurata sunt, reddunt, eos merito  
fuscipis, & quod ex æquitate cupiunt, probas,  
& vt desiderant, protegis; omniaque mala  
quæ ceruicibus eorum, quos regis, impen-  
dunt, fortissime propulsas. Illos autem, qui  
fortunante Deo, & excitante amicitiæ Tuæ  
scelus postulanter, aut quod iam olim a maior-  
ibus Tuis firmatum est, renouandum offerunt,  
benigne, vt par est, admittis, & admissos omni  
amoris ac benevolentiae genere prosequeris:  
illorumque titulos cum fortunæ Tuæ orna-  
mentis latus coniungis, vt cognoseat posteri-  
tas, te illustrium in Germania familiarum  
amicitiam & fraternitatem non tam respuere,  
quam humanitate penitus singulari acceptare,  
acceptatamque amplecti. Eo modo bubuli  
caput a Catulo olim captum insignibus Tuis  
adiunxisti, & aureos gryphos, annulos, aliaque

VENEDORVM PRINCIPVM decora ac signa  
BRENNICO stemmati restituta adiecisti, ac  
nouis terrarum, prouinciarumque nominibus,  
fatorum prouidentia sic dirigente, adsumtis,  
recens non exspectatae felicitatis signum ex-  
tulisti. Macte igitur animo; macte DUX MECK-  
LENBYRG PRINCIPES VANDALIÆ SVERINI  
ET RACEBYRG COMES SVERINI DOMINE TEB  
RARVM ROSTOCHI ET STARGARDIAE macte  
BORVS SIC, atque, vt te noue adquisito  
nomine primus in hac cathedra publice com-  
pellem, clementer concede. Precamur & ora-  
ramus supremum Numen subiectissimis preci-  
bus, vt stabilis utramque DOMVM concordia  
iungat, & perpetuae prosperitatis opibus yndi-  
que septam tranquillitate numquā intermo-  
ritura connectat. Hæc votorum nostrorum  
summa est; cui si vnum adiiciamus amplius,  
non ægre credo feres, nec pro singulari animi  
Tui benignitate asperius accipies. Natalis ul-  
tra quinquagesimum est secundus, quem uno  
spiritu atque voce inter Academiæ nostræ an-  
niuersaria sacra summa hilaritate ac lætitia  
celebramus. Hic admonet nos, vt, quemad-  
modum Pescennio Nigro Romam intranti ac-  
clamatum est, vt corpus conseruet neruosum,  
agile, ac tolerandis laboribus validum, accla-

me-

memus & TIBI, ne sit in eo humorum certa  
numerorum lege ac dimensione constantium  
dissensio; sed consensio potius, concentus, &  
fauissima harmonia. Etsi enim non sumus  
nescii, caput imperare potius, quam pedes,  
mentemque, quæ est potissima pars animi no-  
stri, principatum obtinere, & omnia nego-  
tia regni temperare, & moderari, sibique ci-  
ues obedientes esse compellere; non est tamen  
nobis etiam incognitum, quam arcta animum  
cum corpore connexio compingat, quamque  
difficile sit in maligna, & ruinosa domo habi-  
tare secure, laborare tranquille, imperare tot  
millibus, gentium, nationumque diuersarum  
mores formare, consiliis, & armis tueri visce-  
ribus tumultuantibus, corpusculo languente,  
membris trepidantibus. Ergo quod felix fau-  
stumque reddat D E V S optimus maximus in  
commodi a T E F R I D E R I C E, morbi sece-  
dant omnes; redeat antiquum robur, reuoce-  
tur iuuenilis vigor, ne sapientia, quam in o-  
mni vita ostendisti vllis punctiunculis impedi-  
atur, ac otium & oblectamenta, ad quæ pa-  
randa omnia negotia conferuntur, vlla ægri-  
tudinis specie distorqueantur. Nondum enim  
satis vixisti, nondum Germaniæ, nondum fa-  
mæ Tuæ, nondum FILIO Tuo ad altissima na-

ml

E

to,

to, nondum FAMILIAE AVGVSTAE; nondum  
nobis omnibus, qui in TE uiuimus, quibus-  
que vita Tua, sanitate Tua, nihil videtur pul-  
crius, nihil amabilius, nihil in omni vita sua  
uius. O vtinam ea TIBI PRINCEPS opti-  
me felicitas continget, quæ Tiberio contigit  
Imperatori pessimo, qui a trigesimo ætatis suæ  
anno propriam valetudinem arbitratu suo re-  
xit sine adiumento consilioque alieno! Vti-  
nam ab hoc temporis momento, ab hoc nata-  
li quinquagesimo secundo medicorum artes  
eluderes, nec eorumdem solatiis, pharmacis,  
remediis, disciplina amplius indigeres! Vtinam  
e Carolinis thermis firmam corporis affectio-  
nem, ipsamque sanitatem in Marchiam, & re-  
gnum Tuum abduxisses! Sic enim in vita  
numquam cum Dario bibisses iticundius. Huic  
FONTI maiori iure nomen IMMORTALIS in-  
scriberemus, quam Romani fecerunt in cam-  
pis Capuae proximis: his A QVIS rectius <sup>vixit</sup>  
titulum consecraremus, quam consecrarunt  
Corinthii suo prope Isthmum riuulo. At vel-  
lemus tamen PATER PATRIÆ, ne eo amplius  
redires, vnde salutis tam caræ pignus retu-  
lisses. Nam si aliud optaremus, optaremus,  
quod absit, vt ægrotares, vt domicilio Tuo ma-  
le sit, vt nouis remedii opus haberes; & sen-  
sim

sim rursus toto corporis habitu salubritatem perciperes. Precamur potius tibi, quod Boleslaus Poloniæ Dux Ottoni III. Romanorum Imperatori cum a Sancti Adelberti sepulcro, quo religionis, ac sanitatis recuperandæ caussa se contulerat, in Germaniam recessit, bona mente est appræcatus: ne nisi ob memoriam adeptæ salutis ista vestigia legeret; aut plane non legeret. Eadem Academiæ nostræ vñanimis & salutaris vox est, consentiens spiritus, ac submissa voluntas. Academia autem, quam in orationis feroce nostram appellauit, TVA est; celebris illa per totum terrarum orbem melioribus litteris destinata area, quam tot gentes, & nationes frequentant quotidie; ad quam tamquam ad publicum quemdam & communem mercatum omnes vndique populi certatim quasi commigrant, quid? quod accurrunt. Hic emitur doctrina, hic venditur: hic omne genus liberalia studia copiosissime, & dexterime traduntur. Nam siue ad reconditam, & ab humano intellectu abstrusam sapientiam, quæ mentem a terrestribus ad summa, & cœlestia trahit; siue ad Romanas ac gentium leges, quæ amplissimam, & cultissimam societatem mortaliū ab omni intemperantia ad honestatis

studium traducunt ; siue ad artem medicam,  
quæ morbis , quoad per naturam rerum li-  
cet , imperat , adspirare ingeniosa iuuentus  
velit , rerum abunde est , quas eligat ; merci-  
um sat est , quas sibi comparet : aut si quid his  
tribus illustrium disciplinarum generibus de-  
sit , id quartum , quod est Philosophia , ille di-  
uinæ mentis radius , largissime supplet . Hinc  
enim humanitas , & omnis decor : hinc vitæ  
humanæ præsidia : hinc morum & iuris prima  
auctoritas : hinc domina gentium Eloquen-  
tia : hinc denique pernobiles scientiæ com-  
plures tamquam ex prima scaturigine in ec-  
clesiam , in forum , in omnem hominum vitam  
deriuantur . Et huius tamen , quam prædica-  
mus , elegantiae TV C O N D I T O R E S , & CVSTOS  
F R I D E R I C E ; qui seminarium ciuitatum ,  
subsidium rerumpublicarum , orbis vniuersi  
receptaculum , & quoddam quasi compen-  
dium ex hac schola efficere voluisti . Hanc  
ipsam nuper non sine animi quodam oblecta-  
mento intuitus es , cum in Hercynios Bohe-  
miæ saltus contuleres , & ad salutis diuinitus  
T I B I destinatæ fontem properares , & tandem  
felix faustusque inde remeares . Hanc quanti fa-  
cias , quantoque amore complectaris , disertis-  
fima oratione , publicoque testimonio decla-

ra-

raſti, ac nouis quotidie argumentis declaras,  
dum eamdem prouentibus auges, melioribus  
institutis amplificas, & vtilem Tuis, iucun-  
dam exteris, omnibus venerabilem reddis.  
Verum, ut non in domibus & ædificiis, sed in  
ciuibus, & hominibus eam incoletibus con-  
ſtit potissimum ciuitas; ita non tam e lignis,  
& saxis, & hoc, quod Collegium appellamus,  
ædificio Fridericiana censiſi noſtra debet.  
Vestra Profefſores yenerandi, industria, diligētia,  
concordia vita ſunt Academiae: ye-  
ſtra, adoleſcentes, morum verecundia, doctri-  
næ cupiditas artiumque liberalium amor ani-  
ma ſunt huius Lycei in REGIS noſtri ſapien-  
tissimi maiestatem exſtructi. Hæc ſi tolle-  
rentur bona, vmbram breui, quod Deus auer-  
tat, eſſemus habituri, non corpus; cadauer, non  
ſcholam; oſſeum ſkeleton, non bonæ mentis,  
non liberalis doctriñae ſacrarium; perinde ut  
paſſim videmus ruinas vrbium, & campos, vbi  
illæ ſteterint, ut vix ciuitatis nomen memo-  
riæ hominum obuerſetur. Sic vero ut peream-  
us, & ruina, & peſtem, & exitium tam af-  
fabre elaboratae ſtructuræ inferamus, tantorum  
bonorum INVENTOR, LARGITOR, PROPAGATOR

F

nec

nec vult, nec optat; sed prohibet, & hunc in  
finem praecpta longe meliora, monita multo  
praestantissima suppeditauit. Ipsi enim me-  
moria adhuc tenetis, Collegae perdilecti, quam  
speciosis, & exquisitis in hanc rem verbis FRI-  
DERICVS concordiae Vobis cultum commen-  
dauerit; quam dulci alloquio pacis & tran-  
quillitatis amabilem speciem, vna cum aliis  
virtutibus inculcauerit, ut quaecumque ani-  
mos ad distractionem propellere, aut inuitare  
videantur, declinetis studiose, & quae eorum  
coniunctioni seruant, promoueatissimis con-  
tentione. Hoc autem rectum est, & omni  
dignitati, & omnibus doctrinæ dititiis ante-  
ponendum, quas ex ingenuis studiis multi spe-  
rant, aliqui adipiscuntur; sed pauciores tamen  
cum humanitate, ac omni moderatione con-  
iungunt. Quas dotes si in nobis videretis, ac  
deprehenderetis Iuuenes, annoi iisdem signis,  
principiis, gradibus adscenderetis ad virtutes  
reliquas, quibus animum fleti & mores opon-  
tet. Immo adscendetis, credo, & petulantis in-  
genii tumultus, fastum, sordes, linguae incon-  
tinentiam, gulæ vitia, vinositatem, somnium,  
aleæ lubricas vias, & quæ præterea huius gel-  
ne-

Tolnus & omni trahant

neris sunt, omni studio fugietis, utpote quæ  
singula, si non sunt notæ viri a ratione aber-  
rantis, argumenta tamen non boni esse, faten-  
dum est. Agite igitur iungamus animos, &  
numquam interea sensus declinemus, ab im-  
mortalibus diëtis factisque R E G I S nostri  
cordatissimi, vnde longe maiorem boni sci-  
entiam, & usum colligemus, quam e mortuis  
monumentis vetustæ virtutis, quæ nunc lon-  
ge illustrior cum tanti PRINCIPIS facun-  
dia, & operibus reuiuscit. Ea ratione mo-  
rum, atque bonarum artium felicitas propius  
adspirabit nobis, cum nouam emendandi ar-  
tem fuerimus secati, quæ deteriora docet  
relinquendas, & meliora suadet eligenda:  
quæ vitia sine satellite, & ineptias sine  
voce præconis in exilium propellit. Tū  
modo nobis ad sis hoc die Deus immortalis,  
quo FRIDERICVS REX in omni vita  
felicissimus primam lucem adspexit; fac ut diui-  
næ animi excelsi dotes in vniuersarum gentium,  
& nostram præcipue utilitatem redundant. Fac  
ut ad integrum, absolutamque fortunam com-  
plendam non nisi post longam annorum se-  
riem sospite, ac superstite Iuuentutis Principe

G

FRI-

F R I D E R I C O W I L H E L M O p a t e r n a  
r a r u m v i r t u t u m æ m u l o , d i m i t t a t u r e . v i t a i n  
c o m p a r a b i l i s h e r o s ; c u i u s v i r t u t u m a d m i r a n  
d a r u m n o n t a m c a t a l o g u m i d e d i m u s . , q u a n  
c o m p e n d i u m . F a c v t P H I L I P P V S W I L  
H E L M V S R e c t o r h u i u s A c a d e m i æ M a g n i  
f i c e n t i f f i s s i m u s s u b v m b r a o d e g i a r u m a l a r u m n o s  
t u e a t u r c l e m e n t e r , p r o t e g a t f e l i c i t e r , d e f e n  
d a t f o r t i t e r . F a c v t i n a l t u m e x f u r g a t s c h o l a ,  
T u o N u m i n i , & p a t r i æ , & o m b i m e l i o n i s s a c r a g  
t a . F a c v t N a t a l e s t o t i n i s F A M I L I P A B A V G V  
S T A E i n t e r p o p u l o r u m & g e n t i u m f e s t i u s a c  
c l a m a t i o n e s s æ p i s s i m e r e c u r r a n t , & N e p o t e s  
o r i a n t u r , P r o n e p o t e s q u e , s q u i r e m p u b l i c a m  
v i t u t e i m u n i t a m , m o r i b u s p r æ c l a r e c o n s t i t u t a  
t a m , m u t u a c i u i u m , c a r i t a t e d e u i n d r a m , s a p i  
e n t i æ d i s c i p l i n i s e x c u l t a m , i n o r v e r b o f e a t i s  
s i m a m v i d e a n t , r e g a n t , g u b e r n e n t a i d Q u o b u m  
v o t o r u m s i c o m p o t e s r e d d a n t , v d s p e r a m u s ,  
i n i b r v & r o g a m u s , s a t i s i d g o f e l i c i t e r n i l l o i s e t  
D i u X I o b  
n e a s u m i e x c e l l e n t i a  
s o l i g i s t p i t o r i a n a b u n d a n t e r . F a c  
a t s a i n t e g r a t i o n e  
b e l u d e a t n o n  
h i e r a t i c a P r i n c i p i o  
l i e u t o l p i e , a c  
T R T .



Gb 1633.

4°

ULB Halle  
001 611 763

3



St



CVM  
SERENISSIMI POTENTISSIMI QVE  
PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI  
**FRIDERICI**  
**REGIS BORVSSIAE MAR-**  
**CHIONIS BRANDENBVRGICI S. ROM.**  
IMP. ARCHICAMERARII ET ELECTORIS SVPREMI PRINCI-  
PIVS ARAVISIONENSIS AC NEOCASTRENSIS DVCIS MAGDE-  
BVRGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM STETINI POMERANIAE  
CASSVBIORVM VINIDORVM MECKLENBVRGI ET IN SILESIA  
CROSNAE BVRGGRAVI NORIMBERGENSIS PRINCIPIS HALBERSTADII MIN-  
DAE CAMINI VANDALIAE SVERIN RACEBVRGI ET MEVRSAE COMITIS HO-  
HENSTEINI TECKLENBVRGI LINGAE SVERIN BVRAE ET LEERDAMI MAR-  
CHIONIS VEHRAE ET VLISINGAE DYNASTAE IN RAVENSTEIN TER-  
RISQVE ROSTOCHII STARGARDAE IN LAVENBVRG  
BVTOW ARLAY ET BREDA CETERA  
**REGIS ET DOMINI SVI MVLTO**  
CLEMENTISSIMI  
**NATALIS LII**  
FELICI SIDERE IV. IDVS IVLIAS ADFVLGERET  
**ACADEMIAE FRIDERICIANAE**  
PVBLICO NOMINE  
DEMISSISSIME SVBIECTISSIME QVE  
HVNC PANEGYRICVM  
DIXIT  
**NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS**  
SACRI TRIBVNALIS QVOD IN DVCATV EST MAGDEBVR-  
GICO CONSILIARIUS ELOQVENTIAE  
ET ANTIQVIT. PROFESS. ORD.



The image shows a color calibration chart titled "Farbkarte #13". The chart features a ruler at the top with markings in inches (1 to 8) and centimetres (1 to 19). Below the ruler, there are two rows of color patches. The top row contains patches for Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, Magenta, White, 3/Color, and Black. The bottom row contains patches for Purple, Teal, Green, Yellow, Magenta, and Red. The chart is labeled "B.I.G." in the top right corner.